

Der folgende Text (I.) soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden!

I. Text

5 O ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inuentum naturae laudatur expectaturque, siue
felicitem includit, siue calamitatem repellit, siue satietatem ac lassitudinem senis terminat, siue iuuenile aeuum
dum meliora sperantur in flore deducit, siue pueritiam ante duriores gradus reuocat, omnibus finis, multis
remedium, quibusdam uotum, de nullis melius merita quam de iis ad quos uenit antequam inuocaretur. Haec
10 seruitutem inuito domino remittit; haec captiuorum catenas leuat; haec e carcere educit quos exire imperium
inpotens uetuerat; haec exulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus ostendit nihil interesse infra
quos quis iaceat; haec, ubi res communes fortuna male diuisit et aequo iure genitos alium alii donauit, exaequat
omnia; haec est post quam nihil quisquam alieno fecit arbitrio; haec est in qua nemo humilitatem suam sensit;
haec est quae nulli non patuit; haec est, Marcia, quam pater tuus concupit; haec est, inquam, quae efficit ut nasci
15 non sit supplicium, quae efficit ut non concidam aduersus minas casuum, ut seruare animum saluum ac potentem
sui possim: habeo quod appellem. Video istic cruces ne unius quidem generis sed aliter ab aliis fabricatas: capite
quidam conuersos in terram suspendere, alii per obscena stipitem egerunt, alii brachia patibulo explicuerunt
uideo fidiculas, uideo uerba (...): sed uideo et mortem. Sunt istic hostes cruenti, ciues superbi: sed uideo istic et
15 mortem. Non est molestum seruire ubi, si dominii pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire. Caram te,
uita, beneficio mortis habeo.

Cogita quantum boni opportuna mors habeat, quam multis diutius uixisse nocuerit. Si Gnaeum Pompeium, decus
istud firmamentumque imperii, Neapoli ualetudo abstulisset, indubitatus populi Romani princeps excesserat: at
nunc exigui temporis adiectio fastigio illum suo depulit. Vidit legiones in conspectu suo caesas et ex illo proelio
in quo prima acies senatus fuit — quam infelices reliquiae sunt! — ipsum imperatorem superfuisse.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Z. 11 unius ... generis
Welche Funktion ordnen Sie dem vorliegenden Casus zu?
2. Z. 13 fidiculas
Erklären Sie die Etymologie des Wortes!
3. Z. 18 Vidit legiones in conspectu suo caesas ...
Auf welches Ereignis bezieht sich dieser Satz?